



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 11. An probabile videatur, ligatum voto simplici Castitatis, sit
contrahat matrimonium sine dispensatione, peccare mortaliter in prima
tantum petitione debiti, non in sequentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Plures quidem Authores, quos adducit Diana p. 1. tr. 9. resol. 51. docent præfatum absolu-
tè liberari præcepto jejunii, adeoque non tene-
ri in prandio ad solam collationem, ex eo quod
nemo teneatur (ut ipsi dicunt) invertere ordi-
nem refectionis ab Ecclesia constitutum. Verum
hoc non tam est probare, quam supponere ut
certum id, de quo agitur in quæstione. Deinde
negamus (uti prædictum) ordinem refectionis
ab Ecclesia constitutum esse: solum ille habetur
ex generali jam consuetudine, à qua recedere
licitum est ob justam causam. Sic mercatores
aliique, quod melius negotia sua peragant, dif-
ferunt sèpè & bene comestione ordinariam
usque in vesperum, sumentes circa meridiem
tantum collationem.

QUÆSTIO XI.

*An probabile videatur, ligatum voto simplici Caſti-
tatis, si contrahat matrimonium sine dispensa-
tione, peccare mortaliter in prima tantum peti-
tione debiti, non sequentibus.*

Ratio dubitandi est, quod consummato ma-
trimonio per primam petitionem debiti,
non possit amplius servari caſtitas, ac teneatur
alteri parti petenti debitum reddere, quod vide-
tur non minus caſtitati adversari quam debiti
petitio; ergo deinceps se habet erga conjugem
ac si caſtitatem non vovisset, cum jam sit in eo
ſtatuto constitutus in quo non possit caſtitatem
servare. Atque hinc non pauci Authores hanc
ſententiam docent, ac probabilem censem a-
pud Mendo in ſtatera opin. differt. 5. quæſt. 21.
Respon-

Respondeo tamen, et si forte dicta opinio à Doctorum autoritate non sit improbabilis, nihilominus spectata ratione dicendum videtur, obstrictum voto castitatis si matrimonium contrahat non posse aut primâ vice, aut deinceps sine gravi peccato postulare debitum conjugale, nisi prius voti dispensationem obtineat, uti nobiscum docet Card. Toletus lib.4. sum. cap. 18. Valentia, Henriquez, Em. Sà Coninch, Reginaldus, Layman, & alii passim Societatis authores apud Thom. Sanchez lib.9. de matrim. disp.33. n.5. Et probatur, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum promittat abstinere ab omni actu venereo, præceptum autem negativum pro omni tempore & statu durare censetur; ergo et si tali voto adstrictus, ratione vinculi fortioris acjuris à comparte per matrimonium acquististi, teneatur comparti petenti debitum reddere, non poterit tamen illud postulare, cum sit ipsi liberum ab hac postulatione abstinere, nec ad eam per matrimonii vinculum adstringatur. Et confirmatur ex Cap. Quanto, de jurejurando, ubi declaratur juramentum observandum esse in quantum potest; cum ergo castitas, ex parte voventis servari possit saltem per abstinentiam à petitione debiti, urget semper obligatio voti ut ab eadem abstineatur. Hinc qui in casu debitum petuit, debet id distinctè in confessione explicare, cum sit circumstantia Sacrilegii, quæ continet malitiam specie diversam.

QUÆSTIO